



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Concilium Constantinopolitanum Occasione Marcelli Ancyрани Celebratum
Ab Arianis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

- Ratio 4. restatur Athanasius in epistola ad omnes orthodoxos. Quarta, quod Marcus Nonis Octobris huius anni Constantino imperatore adhuc viuente defunctus fuerit: ideoque non possit non suspectum esse de fide, quod X. Kalendas Nouembris Nepotiano & Facundo confu-
Ratio 5. libus hanc epistolam scripsisse legatur. Quinta: Si Marcus papa exemplum misisset ad Alexandrinos ex Romano scrinio, certo conuenissent deinceps inter se exemplaria Romanum & Alexandrinum: quomodo ergo in exemplari a sancto Cyrillo ex Alexandrino ad Africanos misso, isti tres Canones de appellationibus deerant, qui in Romano inueniebantur? Idem igitur qui, vt bene confuleretur assertioni Zofimi & Bonifacii de Nicæno Canone extra numerum vicenarium allegato, epistolam illam Bonifacii papæ ad Eulalium episcopum Alexandrinum de restituta communionem ecclesiæ Africanæ confinxit, has easdem Marci ad Athanasium, & Athanasii ad Marcum confinxisse & concinnasse putatur. Baron. anno 336. num. 59. & 60. Bellarminus lib. 2. de Rom. pont. cap. 25.

* C O N C I L I V M
 C O N S T A N T I N O P O L I T A N V M
 OCCASIONE MARCELLI ANCYRANI
 CELEBRATVM AB ARIANIS.

ANNO
CHRISTE
336.

N O T A.

- Causa Con-* ^a *Concilium.*] Cum Ariani in Concilio Nicæno Marcellum Ancyranum in Galatia episcopum suæ factioni infensissimum aduersarium sensissent, ipseque vocatus ad encænia Hierosolymitanæ ecclesiæ cum Eusebianis communicare nollet, ad imperatorem rem detulerunt: huius auctoritate deinde ad Synodum Constantinopolitanam anno Christi 336. celebratam dicturus causam conuocatus, comparuit cum propinquiorebus episcopis fere omnibus Eusebianis Eusebius Nicomediensis: Eusebius Cæsariensis, Theognis, Patrophilus, Vrsacius, & Valens Arianorum antesignani, eo fine vt Athanasium sede sua, modo quo supra in notis ad vitam Marci diximus, exturbarēt, illuc conuenerant. Vbi cum Athanasium per nouam calumniam in exilium expulissent, viribus omnibus laborarunt, vt Marcellus alter fidei catholicæ defensor acerrimus eadem sententia percelleretur. Itaque post multas calumnias, eum crimine hæreseos falso infimulatum, quasi contra Asterium scribens cum Paulo Samosateno sentiret, Christumque purum hominem esse doceret, condemnarunt, & episcopatu abdicatum in exilium eiecerunt. Deinde hac re pro voto suo egregie peracta, Arium ob infidelitatis & hæresis suspensionem ab Alexandrinis reiectum, recte & orthodoxe sentire Ariani iudicant. Iuramento eandem fidem professus, in ecclesiæ communionem recipi ab imperatore iubetur, idque deinde, quod supra in notis ad Marci vi-
- Qui inter-*
fuerunt.
- Acta Con-*
cilii.

ANNO
CHRISTI
336. tam dixi, miraculose contigit. Hæc ex Rufino, Epiphanio hæresi 74. Athanaf. apol. 2. de synodis & epist. ad solitarios, Baronius ann. 336. num. 27.

VITA,
EPISTOLÆ ET DECRETA
IULII PAPÆ I.

Ex libro pontificali Damasi papæ.

*^{v.} IULIUS natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos quindecim, menses duos, dies * XVIII. Fuit autem temporibus Constantii hæretici filii Constantini, a consularu Feliciani & Maximini. Hic post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem, & post Constantii mortem cum gloria reuersus ad sedem beati Petri apostoli, fecit basilicas duas, vnam iuxta forum, & aliam via Flaminia: & cœmeteria tria, vnum via Flaminia, aliud via Aurelia, & aliud via Portuensi. Hic constitutum fecit, vt nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in ecclesia, & vt notitia quæ omnibus fidem facit, per notarios colligeretur, & vt omnium monumentorum in ecclesia confectio per primicerium notariorum celebraretur, siue quod cautiones, vel instrumenta, vel donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel colligationes, aut manumissiones clericorum in ecclesia per * scrinium sanctum celebrentur. Hic fecit ordinationes tres in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros octodecim, diacones tres, episcopos per diuersa loca nouem. Qui etiam sepultus est via Aurelia in cœmeterio Calepodii, pridie Idus * Aprilis. Et cessauit episcopatus dies viginti quinque.

NOTÆ.

* Iulius.] Vigesima sexta die Octobris, anno Domini 336. qui est Constantini imperatoris vltimus, Iulius ciuis Romanus pontificatum ecclesiæ adeptus est. Cuius initio Constantinus imperator catholicæ & orthodoxæ fidei confessor e vita discedens, tres filios hosce, Constantinum, Constantium, ac Constantem imperii sui heredes reliquit: hoc iis moriturus præcipiens, vt Athanasium, quem
Iulius quoto anno pontificatus adeptus. Obitus Constantini.

Concil. Tom. 2.

Aaaa ij